

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XLVII.

SD. Te commoda uti valetudine, Reverende Domine Doctor, frater carissime, spero & opto, & multis de causis à Deo ardentè peto, hoc præsertim tempore, quo crescit petulantia & perversitas ingeniorum, quidvis audentium controvèrtere & spargere denuo veterum hæreseon semina, sicut videbis ex his paucis capitibus, quæ à magni nominis viris in Polonia palam disputantur. Optandum igitur est Ecclesiæ causa, senes & usu rerum & varietate exercitiorum & doctrina excellentes doctores, tui similes, diu superstites esse, ut talibus furoribus obviam ire possint, & resistere aliquamdiu, qui postea agminatim in Ecclesiâ irruent, eam miserè turbaturi, ut puniatur contemptus verbi & fastidium synceræ doctrinæ Evangelii, quod jam tenet multos imò plurimos auditores, ut videantur quantumvis absurdis opinionibus applausuri facillimè, novitatis studio & tædio consuetæ doctrinæ, si levi specie veritatis sint fucata. Hac de re commonefacio sæpe meos auditores, quod tuam pietatem item facere, mihi non est dubium. A te valde cupio doceri, quis jam sit status Ecclesiarum in Regno Gallico, & quid Palatinatus moliantur. Audio quorundam principum Theologos in vestra vicinia vel congressos jam vel brevicongressuros, nescio ubi, ut de controversiis quibusdam inter se conferant. Ea de re siquid certi tibi constat, dignetur obsecro tua pietas nobiscum per hunc tabellarium communicare. Cupio etiam ex eadem cognoscere, num quid apud Helvetios vel Heidelbergenses contra nostrum scriptum de cœnâ sit excusum. Nam ex mercatu Francofurtensi huc nihil ejusmodi, quod ego quidem viderim, allatum est. Plura scribere tabellarii festinatio non sinit. Tantum salutare te hoc epistolio volui, ut tuas literas copiosas impetrarem. DEO te tuamque privatam & publicam ecclesiam commendo, & saluari cupio Dominum Flinnerum, cujus filius jam frugi scholastici officio fugitur; Dominum Speccerum & cæteros omnes collegas tuos. Data raptim Wittebergæ, postridie Calendas Novembres, Anno 1563.

Paulus Eberus.



XLIIII.

SEtsi mihi nulla antehac tecum intercessit familiaritas, aut necessitudo, ornatisime D. Streitbergere: ut tibi fortasse mirum esse videatur, me ignotum, ad te mihi nulla notitia conjunctum scribere: tamen cur has ad tuam humanitatem hoc tempore dem, efficit tui de meliore nota commendatio,

tio, imò laudatio, quâ nobilitate generis, pietate, sapientia, eruditione, atque virtute Clarissimus Vir, D. Wolfgangus à Kôteriz, te ita ornavit, ut & excellentem doctrinam, & singularem pietatem, egregiamque industriam, tibi apud me, & amicos amplissimis verbis tribuerit. Quarum maximarum rerum etiam locuples testimonium est, liber tuus, quem superiori anno de judicatione brevi & succincta pædagogicæ, & Scholasticarum operarum ludi literarii in Curia Regniciana Variscorum edidisti. Ex quo intelligitur tua prudentia, & eruditio, atque dexteritas: qua in Ecclesiarum & Scholarum inspectione præstare soleas. Harum ego virtutum tuarum amore incensus, ita flagro tui desiderio, ut post fratrem meum germanum benevolentia te summa complectar. Et quanquam hujus meæ in te benevolentia nulla adhuc potuit dari à me significatio, tamen sæpe jam occasio à me fuit id præstandi quæsita, quò coram de te benè mererer, & te mihi in Gymnasio nostro Collegam ad jungerem. Inventa est tandem opportuna commodaque occasio, minime prætermittenda. Nam cum Hieronymus Zanchus, Cinglianæ sectæ Doctor & Professor discedat Clavennam Rhetorum, & artibus necessariis, optimè sit instructus. Quamvis autem sint, qui cum Ecclesiæ, tum Scholæ nostræ in hoc officii genere, suam operam liberaliter deferant, conditio enim honestissima est, Scholarchæ tamen mea commendatione, quam veram tibi tribui, adducti sunt ita, ut te cæteris omnibus anteponant. Itaque mihi deerunt in mandatis, ut suis ad te liceris, quibus legitime ad nos vocaris, meas ad jungerem, teque hortor, ut oblatam conditionem suscipias. Ea enim non solum Scholæ nostræ, sed Ecclesiæ etiam utilis, & salutaris futura esse judicatur. Tibi certè, & honorifica erit, & fructuosa. Etenim is est, DEI beneficio, Ecclesiæ & Scholæ status, ut honestæ illius conditionis oblata, si eam suscipias, nunquam poenitere posse videatur. Est inter omnes nunc Ecclesiæ ministros, & scholæ Professores pius & in sanâ doctrina Christi summus consensus, certaque concordia constituta: quam hætenus nonnulli impie turbaverant. Ad quam retinendam non parum facit, Senatus nostræ autoritas: qui sicut veneratur, & tuetur suo patrocinio Ecclesiasticum ministerium, unâ cum schola: ita verè & ex animo Augustanæ Principum Confessione est addictus, & abhorret à Sacramentariorum, & omnium fanaticorum hominum tetris, impiisque opinionibus. Plura quo tibi persuadeam, ut novam hanc provinciam suscipias, non adferam. Nam quod ad stipendium pertinet, non est, quod sis sollicitus, efficiam enim, ut honestum & te dignum sis habiturus; ex quo te, tuamque omnem familiam abunde alere, atque sustentare possis. De me tibi velim persuadeas, te, ubi ad nos veneris, mihi meisque Collegis non ut amicum, sed ut fratrem fore charissimum. Hæc

ad

ad te festinanter scribere constitui, teque oro, ut re deliberata, primo quoque tempore mihi respondeas. Bene vale. Datae Argent. 8. Novembris anno 1563.

Johannes Marbachius, D.

Tuus ex animo frater.

Inscriptio :

Clarissimo Viro, pietate, prudentia & virtute excellenti, Domino
M. Johanni Streitbergero, Ecclesiarum & Scholæ, in Curia
Regnitiana Variscorum, ad ripam Sala Fluminis, Inspectori
vigilantissimo, amico & fratri suo colendo.

Zum Hoff in Voitsland.

XLIX.

S. D. Reverende Domine Doctor, Frater

& Amice Carissime.

Cur enim te non his nominibus appellem, cum iisdem me jam antea sumæ cum humanitatis & benevolentiae incredibilis significatione, & ignotum, & immeritum appellaveris? Quapropter si quod sanctius, & Augustius vocabulum reperire liceret, quod etiam paternam *σοφίαν* non dico æquipararet, sed multis suavissimarum affectionum *συμπάθειαν* longissimè vel etiam in infinitum excederet, eo me ingens illa, & mirabilis erga me amoris tui magnitudo cogeret uti. Nam agnovi ex hac Epistola tua omnem illam latentem animi tui vim, omnesque recessus, imo penetralia sensuum tuorum: ita enim te aperuisti, ut natura, ingenium, moresque tui non aliter mihi pateant, ac si inspiciendas præbuisset cogitationum tuarum intimarum rationes. Certè ita me nunc te ipsum cognoscere puto ex hoc scripto, ac si misso *πρῶτον* filiolo tuo, qui te facie & ore lineamentorum similitudine referret, imaginem tuam vis coloribus expressam mihi videndam exhibuisses. Sed hæc omnia ad DEUM Autorem refero, qui mirandis modis regit Ecclesiam suam, & actiones piorum: Hunc sedulo & quod die invoco, ut mihi donet fidos amicos, patronos & Mæcenates, quibus res meæ curæ essent. Verum non modo pios & amplissimos patronos atque Mæcenates donat, sed etiam Amicos & Fratres, qui me paterna vel etiam materna benevolentia prosequuntur. Non utar hic illa Hyperbole vel *ὑπερβολή*: Inspiciat aliquis literas tuas, & dicet, me studium illud tuum, erga me & meos, lætissimosque affectus, quibus me prosequeris, tenerrimamque benevolentiam, quam in me *υπερβρίμην* effun-

dis.